

bus neminem mihi necesse est nominare, Vosmet Vobiscum recordamini. *Egregium defensionis argumentum! Scilicet, quo Cicero, se in iuuentute optimum fratrem non fuisse (vulgo quod apud nos Germanos dici solet) seipsum prodit, ut forex suo sibilo; nullusque dubito, quin iuuentuti his ipsis verbis ad omnis generis flagitia fenestram aperuerit. In Oratore Aristotelis mentionem facit his verbis: Quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inueniendis vel iudicandis acrior Aristotele, fuit? Libr. 4. Academic. quaestionum, aureum Orationis flumen, libro 1. de diuinatione ingenium pene diuinum illi adscribit; quod si iam Philosophi huius scripta tanti fecit, cur in Oratione pro M. Coelio contrauenire audeat aureae illius doctrinae libr. 4. Politicorum, quam ibi legere licet his verbis: παιδονόμος seu iuuentutis Moderator id imprimis curet, ut iuuenum amores ἀπάσης κακῆς καὶ ἀχαρρυγίας ἀμοιροὶ ὄντες, ab omni vitio omni que turpitudine vacui sint, sint casti, καὶ πάσης τῆς ὑπολήψεως ἐκτός τῆς ἀχαρῆς, absque omni labe foeditatisque suspicione longe remoti? In sequentibus prolixè docet, eiusmodi παιδονόμους manibus pedibusque obnixe omnia facere debere, ut puerorum animos & literis & moribus imbuant, ab omni turpitudine se unà cum illis seuocent, honestatemque nunquam non pro scopo sibi propositam habeant. Bene haec notanda veniunt tam Docentibus quam Discipulis. Docentibus, ut non tantum omnes curas ac cogitationes suas in dexterrimam iuuenum informationem conferant, atque ad finem hunc obtinendum non dimidias sed integras horas manum admoueant, & simulac hora auditur, praesto sint, ita, ut egrediens & ingrediens sibi obuiam procedant, sed etiam & ante omnia pietatem colant, suisque discipulis virtutum exemplis praeluceant. Turpe enim est Doctori, cum culpa redraguit ipsum, iuxta Poëtae effatum; nec quicquam serpit magis, & celerius ac latentius in plerorumque mores se insinuat, quam vitia Praeceptorum. Quid Tu ita intorto & retrogardo semper incessu ferris? inquit apud Aesopum cancer mater ad filium; quia nunquam, respondet ille, aliter Te incedentem vidi: quin te emendes tandem fili? instat illa, I prae, mater, sequar! filius. Discipulos vero ne insistant vestigiis Eorum, qui nec pietati nec literis debito modo student, sed omne fere tempus in ambulando, belluando, aut ludendo conterunt, noctu gladiis accincti sursum deorsum cursitant, districtis iisdem lapides miserandum in modum feriunt, & ac si Hannibal ad portas esset, Stentoreo gutture vociferantur, gurgites sunt ac voragines patrimoniorum, omnia,*